



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

59. In supremo &c. Concessio Indulgentiæ Plenariæ perpetuæ Monialibus  
Velum Sacrum, Benedictionem, & Consecrationem recipientibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO  
1729.

tendi tam Domum Parochialem, quam omnes, & singulos Canones, aliosque fructus, redditus, & proventus cujuscunque generis, & speciei ad Ecclesiam prædictam quavis de causa, jure, ac titulo quomodolibet spectan. & pertinen. & alios quoscunque redditus, utilia, & emolumenta certa, & incerta, ordinaria, & extraordinaria, ex hujusmodi curæ Animarum exercitio quomodolibet provenien. cum onere tamen adimplendi omnia onera cujusvis generis ejusdem Ecclesiæ, prævia remotione prædicti Admodum R. D. Hieronymi Amati Calbini, ac firma illius favore remanente assignatione annuorum scut. 340. liberorum, & exemptorum à quacumque obligatione, & onere in tot fructibus Locorum Monitium à die Possessionis specialiter, ut supra attergat, pro integra congrua ipsi reservat. comprehensa pensione Domus in locum habitationis Parochialis, ac præd omni, & toto eo, quod ipse quovis prætextu, & causa prætereun. quomodolibet posset, & cum confirmationibus, revocationibus, reservationibus, & aliis in eodem Chirographo expressis, eidemque Reverendissimo P. Magistro Generali, ejusque respectivè successoribus facultatem, & auctoritatem privatè quoad omnes alios eligendi, & nominandi RR. Parochum, Priorem, Vicarium, seu Rectorem, Confessarios, aliosque Religiosos tam Sacerdotes, quam Laicos de Familia collocandos in eadem Ecclesia S. Nicolai, ejusque Domo Parochiali, prævia tamen approbatione quoad Parochos, & Confessarios Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Vicarii, ac sine præjudicio quoad reliqua jurisdictionis Admodum RR. PP. Provincialium pro tempore Provinciæ Romanæ, juxta dispositionem Constitutionum, Legum, & Decretorum ejusdem Ordinis, nec non in eadem Ecclesia, & Domo Parochiali eorum arbitrio, & absque alio Beneplacito Apostolico, Indulto, seu licentia S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, ac Disciplinæ, erigendi, & fundandi formalem Conventum ejusdem Ordinis modis, & formis in eodem Chirographo expressis simili Auctoritate concedimus, & impartitur, & præd præmissorum omnium effectu, & executione quæcumque mandata de reintegrando, immitendo, manutenendo, expellendo, & alia desuper necessaria decernimus, & relaxamus, juxta in omnibus, & per omnia formam, seriem, ac tenorem memorati Chirographi, non obstant. Constitutionibus, & Ordinatioibus Apostolicis, supra relatis Decreto Sac. Congregationis Visitationis Apostolicæ, ac Brevi facti: me: Innocentii X. Decretis, & resolutionibus Sac. Congregationum Episcoporum, & Regularium, ac Disciplinæ, Concilii, Legibus, Statutis, cæterisque aliis, quibus idem Sanctissimus Dominus Noster Papa in præserto Chirographo derogavit. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Palatio Apostolico Vaticano, & ex Aedibus nostris hac die 12. Martii 1729.

F. M. Episc. Imerien. Auditor, &  
Judex Commissarius.

Loco † Sigilli,

Salvator Paparotius Caus. Curie Camere  
Apost. ac Illustrissimi, & Rm  
D. Auditoris SS. D. N.  
Pape Notarius.

ANNO  
1729.  
LIX.

Concessio Indulgentiæ Plenariæ perpetuæ Monialibus Velum Sacrum, Benedictionem, & Consecrationem recipientibus.

## BENEDICTUS PAPA XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**I**N supremo Apostolicæ dignitatis culmine, meritis licet imparibus, inscrutabili Dei providentiæ arcano constituti, Cælestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ credidit Altissimus, libenter erogamus, cum id ad augendam Sacrarum Virginum, quæ oblitæ populum suum, & domum Patris sui, divinis obsequiis sese sub suavi Religionis jugo manciparunt, Religionem, fovendamque illarum pietatem arbitramur in Domino profuturum. Cum itaque Nos antiquissimam Catholicæ Ecclesiæ ad nostram usque tempora transmissam consuetudinem, priscumque Sanctorum Patrum morem secuti, nonnullis dilectis in Christo filiabus Monialibus Monasterii S. Ambrosii de Urbe Ordinis S. Benedicti, Sacrum hodie velamen, ac benedictionem, & consecrationem impartiti fuimus ( memores B. Marcellinam ejusdem Sancti Ambrosii Sororem, ut ipse in suis libris de Virginibus testatur, à S. Liberio Romano Pontifice prædecessore nostro, Sacrum itidem velum solemnè ritu accepisse ) dictisque Monialibus plenariam peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concesserimus; Cæteras quoque Moniales, quæ deinceps Velamen, benedictionem, & consecrationem ejusmodi recipient, eodem Spirituali munere donare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Monialibus expressè professis quorumvis Monasteriorum in qualibet Mundi parte existentium tam hæcenus erectorum, quam in posterum erigendorum cujuscunque Ordinis à S. Sede Apostolica approbati, quas de cætero juxta Sacrorum Canonum dispositionem, ac formam in Pontificali Romano præscriptam, à proprio Episcopo, seu Antistite velum sacrum suscipere, ac benedici, & consecrari contigerit, de earum velationis, benedictionis, & consecrationis præfatarum, si verè poenitentes, & confessæ Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumperint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus: Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris, Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum Transumptis, seu Exemplis etiã impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vi. Aprilis MDCCXXVIII. Pontificatus nostri Anno quarto.

F. Card. Oliverius.

Bulla BENEDICTI XIII. ad Conso-  
rores Conservatorii Domus Charitatis quâ

Ddd 3

sta-

6. April.  
1728.

LIX.